

Hirk

regnum in fratrem Weidevvutum transtulit. Tandem, cum & hic jam senio debilitatus oneri huic ferendo non esset, Pontifex itidem factus, dicitur se cum fratre Bruteno Diis patriis immolasse. Vid. Henneb. lib. de V. P. p. 9. 10. Weissel. p. 18. a. Filii Weydevvuti putantur fuisse duodecim, quorum hæc fuerunt nomina: *Saymo*, *Neydro*, *Sudo*, *Slavo*, *Natango*, *Barto*, *Galindo*, *Warmo*, *Oggo*, *Pomezo*, *Colmo* & *Lituo*. Ab his Partes Prussiæ nostræ dicuntur nomina sua sortitæ esse, ut dicerentur: *Samlandia*, *Nadrovia*, *Sudinia*, *Slavonia*, *Natangia*, *Bartonia*, *Galindia*, *Warmia*, *Oggerlandia*, *Pomezania*, *Culmigeria*. Sed LITUO Prussia relicta Lithvaniam hodiernam sibi subjecisse eamque à suo nomine appellasse, Alanam quoque gentem omnem è Prussia eduxisse perhibetur. Cojalovvicz l. c. p. 22. Alii alia de his Regibus Alanorum Pruteno & Weidevvuto referunt, in hoc tamen conveniunt omnes, ab his Prussos Veteres omnem cultum suum, ut & religionem accepisse. Verum quid nobis hac de re videatur paucis aperiemus. Ipsum *Alanorum* in Prussiam ingressum non negamus quamvis certum tempus determinare nequeamus. Nam hoc non ex testimoniis tantùm citatorum Authorum, sed etiam ex vicinitate horum populorũ, & forsan etiam ex Lingua Prussica Veteri probatur, quæ communis esse potuit *Alanis*, *Lithvanis*, & *Prussis*, ut vicinis populis. A *Cimbris* hanc migrationem derivare, ridiculum est, præsertim si attendantur circumstantiæ, quas illi hic recensent. Ea etiam fermè omnia quæ de *Pruteno*, *Weidewuto* filiisque ejus memoriæ prodita sunt, fabulosa esse nobis persvasissimum est. Nam primò cum de his rebus nihil habeant exteri Scriptores, quis ea Veterum Prussorum aut Lithvanorum in tantâ populorum barbarie literis consignavit, undè sequens ætas incorruptam illam haurire posset Historiam? Undè hæc

Cruci-

C. D.

DISSERTATIO HISTORICA
DE
IDOLOLATRIA
ET ALIIS SUPERSTITIOSIS RITIBUS VETERUM PRUSSORUM,

Qvam

Indultu Superiorum

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTOPHORI **Hartknochen**

Paſſenheim. Pruſſi.

Publico Eruditorum examini

ſubmittit

FRIDERICUS WERNERUS,

Regiomonte Pruſſus.

Ad diem Junii horis locoq; ſolitis.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.
BRAND. ET ACAD. TYPOGR. 1675.

VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimo, Amplissimis, Consultissimis, longo rerum usu atq; Experientia Clarissimis

DN. JOHANNI GEORGIO STRASBURG,

Med. D. & ejusdem Professori Publico,

DN. M. JOHANNI RöLINGIO,

Poeseos Prof. Publ.

DN. FRIDERICO GRUBE,

DN. CASPARO WERNERO,

DN. GEORGIO HOPNERO,

Reipublicæ Löbnicensis Senatoribus gravissimis.

Fautoribus, Patronis, ac Parenti, omni honoris, officiorum & amoris cultu devenerandis

Dissertationem hanc in sui, studiorumq; suorum commendationem submisso animo Consecrat

Fridericus Wernerus,
Respondens.

C. D.

I.

INter alias causas, quæ nos ab hac materia pertractanda retrahere potuissent, non minima est illa, quod antiqua Chronica, primis, ab ingressu Ordinis Teutonici, temporibus scripta, ad manus nostras non pervenerunt. Sunt quidē non pauci, qui olim res Prussicas literis tradiderunt, ex quib⁹ tamē vix unus & alter superest. Primus qui huic labori manū admovit, est *Jaroslaus* Canonicus Plocensis. Secuti sunt ipsum *Christianus* primus in Prussia Episcopus circa An. 1240. *Petrus à Düsburg* Eques Ord. Teuton. cujus Latinum Chronicon *Nicolaus Jeroschinus* Germanicis versibus reddidit. *M. Alexius à Nuswurz* Sacerdos Thoruniensis. *Joannes* Lindenblatt Officialis Risenburgensis, quorum omnium Chronicis Mss. usus est *Simon Grunovius* Tolkemitâ Prussus Monachus Ord. Prædicatorum, cum Chronicon suum, in XXIV. Tractatus divisum, conscriberet, ut testis est Hennebergerus in Præfat. ad libell. de Veteri Prussiâ. Ex dictis Chronicis Caspar Hennebergerus tantum duo habuit, nempe Petri à Düsburg & ipsius Grunovii. Hic Grunovius Thomæ Clagio dicitur: *Prutenâ primus in Historia*, lib. II. de Virgine Lindensi cap. II. pag. 170. & lib. I. cap. VII. pag. 36 appellat eum Clagius *inter rerum Prussicarū Scriptores facilè Principē*. Nobis neq; horum copia facta est. Non desunt tamē qui antè & post tempora Grunovii res Prussicas literis consignarunt, quorum Scripta supersunt, ut sunt (præter alios, quos Casp. Schuz & Casp. Henneberg. in princ. Chronicorum

enume-

enumerant,) *Episcopus* quidam *Paderbornensis* qui Chronicon Magistrorum sive Chronicon Ordinis, ut dicitur, scribere cœpit, quod adhuc MS. in Bibliotheca Electorali asservatur. Sub initium Seculi Superioris conscripsit *Erasmus Stella* duos de Antiquitatibus Borussorum libellos eosq; dedicavit Friderico Magistro Ordinis Teutonici in Prussia, Duci Saxoniæ. Habentur hi Tomo I. in Corpore Hist. Polon. Post Grunovium *Joannes Meletius* Archipresbyter Lyccensis, licet Historiam Prussicam non scripserit, ejus tamen Epistola, ad Georgium Sabinum primum Acad. nostræ Rectorem de Religione Veterum Borussorum scripta, & An. 1551. hîc Regiomonti impressa, postea verò An. 1563. à filio ipsius Hieronymo Meletio iterum edita, multa continet ad hanc materiam facientia. Deindè sequitur *M. Georgius Ranis*, cujus libellus sine Authoris nomine impressus est Elbingæ, teste Henneberg. lib. de Vet. Pruss. p. 1. 6. Forsan autem illud ipsum est Chronicon, quod edidit *Wolffgangus Dietmarus* Typographus Elbingensis Anno 1564. Georgium Ranis ut Ducem suum sequitur *Johann Daubmannus*, cujus liber hic Regimonti impressus est, ut testatur Dionysius Runau in fine Præfat. Ipse *M. Dionysius Runau* Dirsaviensis Prussus descripsit Bellum Prussicum ab An. 1454. usq; ad An. 1466. gestum. Cui adjecta est Descriptio belli biennalis inter Sigismundum I. Reg. Pol. & Albertum March. Brandeb. Impressus est liber Wittebergæ An. 1582. sed nos nihil potuit juvare in proposito nostro. Præter hos est adhuc *Martinus Murinius*, qui Superiori Seculo Chronicon quoddam Germanicum in Lingvam Polonicam translatum publici juris fecit. Cumq; hujus libri exemplaria essent distracta, adornavit alteram Editionem *Simon Kempinius*, Typographus Cracoviensis, eamq; Anno 1606. Thorunienſibus dedicavit, quibus & prima Editio fuerat dedi-

cata.

cata. Ad eadem fermetempora referendi ſunt tres *Authores Anonymi*, quorum Chronica MSS. hic etiam perluſtravi. Circa eadem tempora vel paulò ante Chronicon ſuum conſcripſit *Caſparus Schuz*, quod adhuc in multorum eſt manibus. Deindè An. 1584. edidit *Caſparus Hennebergerus* libellum ſuum de Veteri Pruſſia: Anno autem 1595. publicavit ſua ad Geographicam Pruſſiæ Tabulam Commentaria, ſive ſuum Chronicon. Sub ipſum Seculi Superioris exitum (An. 1599.) edidit *Thomas Waiſſelius* Bartenſtein. Pruſſ. Chronicon Pruſſicum, Livon. & Curlandicum. Tandē An. 1657. impreſſa eſt Harlemi *Hiſtoria Pruſſica* Anonymi cujusdam, Belgicè ſcripta, in forma, ut vocāt, quartâ. Quamvis verò Author ejus profiteatur ſe Hiſtoriam hanc ſuam ex multis Authoribus collegiſſe, ad verbum tamen ferè tres tantum libellos Henneberger de Veteri Pruſſia in Lingvam Belgicam tranſtulit. Addendi ſunt his *D. Cœleſtinus Mislenta*, qui in Prolegomenis ad Manuale Prutenicum, de Religione Pruſſorum egit, ut & *Thomas Clagius* Jeſuita, qui in Libb. de Virgine Lindenſi ſive in Linda Mariana quædam huc pertinentia annotavit. Hos Authores in Diſſertatione hac noſtra ſequemur. Juvabunt etiam nos non parum *Litvanorum* (qui proximè antè Germanorum in hanc Provinciam ſub Ordine Teutonico ingreſſum Pruſſiam inhabitarunt, de quibus Pruſſis præcipuè nobis eſt ſermo (item *Gothorum* (in quorū locum Alani ſive Lithvani ſucceſſerunt) ut & *Polonorum* aliarumq; gentium Scriptores. Licet autem antea enumerati Scriptores, quibus hic uſi ſumus ſint recentioris ævi, in plurimis tamen tutò ipſis fidem habere poſſumus, cum ſua, quæ nobis tradiderunt, partim ex Authoribus fide dignis hauſerint, ut ipſi ſæpè teſtantur, partim etiam multa ipſi oculis ſuis viderint, ut de Patre ſuo teſtatur Hieronymus Meletius in Præfat. Epiſt. ſupra citatæ. Paganiſmus enim

non adeo facilè potuit eliminari, quin reliquiæ ejusdem ferè usq; ad nostra tempora remanserint. Quod multò magis dicere licet de Superiori Seculo. Testantur enim D. David Voitus, Johannes Funccius, Georgius Sabinus & alii infra citandi, non fuisse Paganorum ritus sub Ordine Teutonico planè inhibitos, donec Albertus Senior primus Dux Prussiæ Idolatricum Deorum quorundam cultum planè eradicaverit.

II. *Omnes homines aliquam de Deo cognitionem habent*, asserente Philosopho lib. I. de Cœlo cap. III. t. 22. Et ut Cicero loquitur: *Nulla gens tam fera, nemo omniũ tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum Opinio.* lib. I. Tuscul. n. 30. Sic etiam Prussi Veteres, licet spissis gentilium errorum tenebris involuti, Deos tamen esse confessi sunt. Imò referunt Scriptores Prussici, quod antiquissimis temporibus ante adventum Scandianorum, sive potius Alanorum sub Weidevvuto & Pruteno, cum adhuc essent adeò rudes, ut non crederent quenquam per literas posse animi sui sensa alteri expromere, agnoverint tamen in illa simplicitate Deos esse. Quapropter illos fermè Deorum loco habuere, quos legendi scribendiq; peritos videbant. Colebant autem tum omnium ferme gentilium exemplo SOLEM ut & LUNAM & STELLAS. Postquam verò in Alanonum transiissent mores, ipsorum etiam Deos ex instituto Weidevvuti & Bruteni colere cœperunt, inter quos præcipui, vel ut Latini vocant Dii majorum gentium erant tres PICOLLOS, PERCUNOS, PATRIMPOS, qui habitasse dicuntur sub *Quercu* in urbe *Romove*. Henneb. in tract. de Vet. Pruss. p. 7. ex Sim. Grunovii tractatu III. cap. III. Mihi, ne quid hic dissimulem, de tribus his majorum Gentium Diis, ut & de quercu illa in urbe Romove, aliud quid non rarò visum est. Videlicet videbam apud antiquiores Historicos qui de

Prusso-

Prussorum Veterum Idololatria antè Simonem Grunoviū aliquid literis consignarunt, nullā illorum fieri mentionē. Nam neq; apud Vincentium Kadlubkonem antiquum Historiæ PolonicæScriptorem,neq; apud Æneam Sylvium, ne ; Joannem Dlugossum, neq; apud Erasmum Stellam, neq; apud Matthiam de Michovia,neq; in Chronico Ordinis MS. neq; apud Joannem Meletium quicquam de illis reperitur. Quamvis quidam eorum urbis Romove & Pontificis Crive in Romove residentis meminerint. Alii etiam Prussorum Deos enumerant, ut Solem, Lunam, Stellas, homines, Serpentes, Bubones, non faciunt tamen ullam de tribus illis Diis mentionem. Insuper Joannes Meletius quamvis sibi hunc laborem sumpserit,ut Religionem Prussorum Idolatricam ex professo describeret, nihil tamen habet de tribus illis Diis majoribus, præcipuoq; ipsorum cultu: sed, ut ex sequentibus apparebit, illos inter communes Deos recensere videtur, quod etiam faciunt Georgius à Polenz & Paulus Speratus Episcopi in Præfat. Agendæ Ecclesiasticæ An. 1530. scriptæ. Erasmus Stella itidem asserit Prussos Veteres adorasse *tonitrua fulgetrasq;* lib.II. Antiq. Sed de singulari illo Deorum cultu nihil habet. Ex his fermè colligebam Simonem Grunovium hæc omnia confinxisse. Sed cum antiqua Chronica non sint ad manus, quid hac de re certò statuam, non habeo. Sequar tamen hic communem hanc sententiam, quoniam illam exactè cum Deorum cultu apud Gothos convenire video. Quod enim ternarium Deorum numerum concernit, illum Alani in Prussiam ingressi, à Gothis antiquioribus Prussiæ incolis videntur esse mutuati, apud quos etiam tres Dii majorum gentium fuere culti nempe *Thor*, *Odhen* & *Frigga*. Vid. Adam. Bremens. lib. de Situ Dan. & Reliqv. Septentrionalium Regionum cap. XCI. seqq. p. 152. Olaus Magnus lib. III. Hist. Septentr.

cap. III. Joh. Schæferus in Vpsalia Antiqua cap. V. seqq. & in Lapponia cap. VII. Confirmat nos in sententia nostra Erasmus Stella qui refert Widevvutum Sacerdotes à Sudinis (intelligit autem Sudinos in illis locis habitantes, ubi nunc habitant, & ubi nos Gothos olim habitasse alibi probavimus) sociis populis accersivisse, qui eos quæq; animalia ut serpentes &c. religiosè colere docuerunt. lib. II. Antiq; Boruss. post princ. Licet autem trium illorum Deorum mentionem non faciat, illud tamen sufficit quod testetur Widevvutum à *Gothis* cultum Deorum didicisse. Neq; hoc parum sententiam nostram firmat, quod Prussici Scriptores Widevvutum faciunt Principem *Scandinavicum* i.e. *Gothicum*, qui Prussos cultum horum Deorum docuisse fertur. Vid. Weisselius in Chron. p. 17. & alii. Hoc eò magis cogimur credere, quia Lithvani quibus Prussi illi originem suam debent, licet *Percunum* ut Deum coluerint, non leguntur tamen tres Deos præ reliquis coluisse.

III. Sed clarius hæc patescent si in specie singulos Deorum describamus. Primū locum vendicabat sibi PATELO vel POTOLLO. Sed rectiùs ab aliis scribitur PIKOLLO vel PECOLLO i.e. *Deus inferorū*, ut explicat Waisselius. Hēneb. verò *Diabolum* illam vocē significare vult, in Chron. in voce Trifaltigkeit. Prior explicatio videtur esse melior. Pikollo enim sine dubio à Slavonico vocabulo Piekło descendit, quod infernum significat. Formam ejus sic describit Thomas Clagius: *Cui* (Pikollo) *promissa & cana barba, caput fascia candida, adinstar Diadematis redimitum, facie quæ & hominem & equum & simul bovem referebat, pallidâ & sursum prospectante.* lib. I. Lindæ Marianæ sive de Virgine Lindensi cap. VIII. Sed Hennebergerus, Waisselius & Schuzius tam monstrosi capitis non faciunt mentionem, hoc tantum memorantes quod fuerit facie pallidâ. Hunc Pikollum dixe-

ris

ris fuiſſe *Othinum* vel *Wodanum* Secundum Deum Gothorum, quem etiam *Deum mortuorum* & *inferorum* fuiſſe probat Johan. Schæfferus in Vpſalia Antiqua cap. VII. p.77. ſeqq. Secundum locum obtinebat PERCUNOS, malèà Gvagvino dictus PETUNO. Hic *igneam prorſus & ira ardentem faciem præferabat, uti & caput flammis coronatum, & criſpam innodemq; nigri coloris barbam.* Clagius l. c. p.44. Habitus fuit Deus fulminis & tonitruum aliarumq; tempeſtatum, undè hodiè adhuc apud Lithvanos **perkunos** idem ſignificat quod *tonitru.* Hunc *Percunum* Dietmarus & Waiſſelius primo loco numerant, quod etiam convenire magis videtur *Thoroni* Gothorum Deo. Nam & hunc Deorum primum faciebant Gothi, præficiebantq; *tonitrui* & *tempeſtatibus.* Adam. Brem l.c.p.152. Quin, ipſum nomen *Thor* à *tonitru* quidam deducunt, ut Cluver lib.I. German. Antiq.cap.XXVI.& Voſſius lib.II.de Idololatr.cap.XXXIII. Schæfferus putat non à *tonitruis Thoronem*, ſed contra potius à *Thorone tonitrua* eſſe diciq;. in Vpſal. Antiq. cap.VI.p.50. Tertius Deus Pruſſorum fuit PATRIMPUS ſive POTRIMPUS *imberbi ac lætantium ridentiumq; in morem liberaliter exporrectâ facie, referebat juvenem, caput viridante è ſpicis coronâ præcinctum. Ridebat enim Perkuni torvùm in ſe tuentis ſive immanitatem, ſive vanam ſine viribus iram.* Clagius l.c. Hennebergerus dicit hunc fuiſſe Deum *frugum* & *bellorum* de Vet. Pruſſ. p.11. b. Martinus Murinius putat *Patrimpum* dictum fuiſſe, acſi idiomate Polonico diceres **Bog Oyczyſtich** i. e. *Lar,* ſive ut ipſe Murinius addit: *Dii Penates,* Forſan itaq; hanc vocem deducit à Græco ſimul & Latino *Papas* ſive *Pater.* Vid. Murin. in Chron. Pruſſ. cap.IV.p.6. Hic *Patrimpus* facie ſua imberbi referre videtur *Friggam* Gothorum Deam, quæ ab aliis gentibus *Freja* i.e. *Venus* à **Freyen** / & *Hertha* i. e. **die Erde** / mater omnium rerum, ab aliis etiam

Luna

Luna dicebatur. *Venus* autē aliquando non eſt alia quam *Bellona*. Dicebatur *Frigga* fuiſſe Dea præfecta *Voluptatibus* apud Adā. Bremēſem, item *Bellis*, ut ea cōponeret, ut patet ex Paulo Warnefridi de geſt. Longobard. cap. VIII. & tandem *Frugibus* ut ex Erico Vpſalienſi probat Schæfferus de Vpſal. Antiq. cap. VIII. p. 96. Quæ omnia etiam Pruſſorum Veterum Patrimpo conveniunt. Neq; obſtat ſexus diverſus. Nam, ut jam Adamum Bremenſem prætercam, qui hoc Numen non Friggam ſed Fricconem Deum appellat, hoc ſaltem addo, quod de Philochoro Macrobius dicit: *Eandem* (Venerem) *affirmat eſſe Lunam. Nam & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum Virili: quod eadem & mas exiſtimatur & fœmina.* lib. III. Saturnal. cap. VIII. Hinc facile Pruſſi idem Numen, quod apud Gothos fuit formâ muliebri, potuerunt effinxiſſe habitu Virili. Tribus his Diis majorum Gentium addiderunt Pruſſi alios *tres* Deos minorum gentium, idq; rurſus ad exemplū Gothorū, apud quos etiam *tres* Deos minores fuiſſe, author eſt Olaus Magn. lib. III. c. IV. Fuerunt autē tres illi Pruſſorū Dii, ſequentes WORSKAITO Deus jumentorū & cœterorum quadrupedū animantium. ISCHWAMBRATO (apud Waiſſelium SCHWEIBRATO dicitur) Deus gallinarum, anſerum aliarumq; avium. Henneb. de Vet. Pruſſ. p. 9. ſeqq. GORCHO Deus cibo potuiq; præfectus, quem Pruſſi à Maſoviis accepiſſe feruntur. Henneb. in Chron. fol. 156. De prioribus duobus memorant Scriptores noſtri, quod primi Reges Pruſſorum *Widewutus* & *Prutenus* fratres, decrepitâ jam ætate pro ſuorum ſalute ſe devoverint, & ut Deorum commercio jam fruituri, ſuorum facilius promoverent ſalutem, ultro ſe in pyram è lignis quernis accenſam conjecerint. Inde à Pruſſis in Deos fuerint relati, & Widevvutus ſub nomine Worskaiti, Brutenus verò ſub nomine Schvveibrati fuerint culti. Henneb. de Vet. Pruſſ. p. 11. ſeq. Clagius l. c. p. 42.

IV. Præ-

IV. Præter enumeratos illos majorum minorumq; gentium Deos, habuerunt & alios tertii Ordinis Deos Prussi, idq; rursus ad exemplum Gothorum, de quibus Vid. Olaus Magnus lib. III. cap. IV. Fuerunt autem Dii illi Prussorum sequentes: OCCOPIRNUS Deus cœli & terræ. ANTRIMPUS Deus maris. GARDOÆTES Deus Nautarum. PILVITUS sive PELVITUS Deus Divitiarum, quod nomen cum Latino *Plutus* fere convenit. PERGUBRIUS Deus florum, plantarum & omnium germinum. Lithvani aliiq; appellarunt hunc Deum Ziemiennik: PUSCÆTUS qui sacris lucis præerat. Hunc Martinus Murinius PASCHVITUM appellat. AUSCEUTUS sive AUSCHWEITUS Deus sanitatis & ægritudinis. MARCOPOLUS Deus Magnatum & Nobilium. Hos Deos enumerat Johan. Meletius. Addit etiam alios quosdam, qui tamen iidem sunt cum illis, quos inter Deos majorum gentiũ numeravimus. Ut PARGNUS, quem Meletius facit Deum tonitruum & tempestatum, sine dubio est PERCUNUS. Deinde POCCLUM facit Deũ inferni & tenebrarum: POCOLLUM verò Deum aëreorum Spirituum. Ego putaverim *Poclum* & *Pocollum* fuisse unum eundemq; cum illo, quem supra inter Deos majores primo loco commemoravimus. Illud tamen inde colligere licet Prussos postremis temporibus, postquam tres illi Dii à Boleslao Chrobri Rege Polon. fuere combusti, discrimen illud inter majores & minores Deos sustulisse, omnesq; pari gradu habitos in sacris suis invocasse. Vel etiam, ut licet suspicari, videntur Prussi Veteribus illis Diis jam à Poloniæ Rege combustis alios præposuisse, inter quos primus fuit *Occopirnus* ut supremus cœli terræq; Dominus. Addit supra enumeratis Diis Waisselius etiam PERDOYTUM Deum Navium. Credebãt enim Prussi in mari ingentis magnitudinis Angelum sive Deum consistere, & quo ille se verteret, eò

etiam ventos spirare. Et si Angelus ille ad iram concitaretur, credebat ipsum pisces flatu suo abigere, imò etiam necare. Weissel in Chron. p.26. & seqq. Et SCHWAYXTIXTUM Deum luminis vid. Weissel p.19. *Quartum* Genus Deorum Prussicorum constituunt illi, quos alii BARSTUCKAS, alii MARCOPETAS appellant & fuerunt ipsis Dii subterranei, kleine Erd-Leute. Waisselius dicit eos fuisse habitos ut ministros Deorum: Murinius eos in specie *Pasviti* Dei ministros facit. Cum Barstuccis & Marcopetis forsan iidem fuerunt, qui à Joanne Meletiô lingvâ Rutenicâ appellari dicuntur *Coltki*, Græcâ *Coboli*, Germanicâ *Coboldi*. Hos licet Meletius distingvat à Barstuccis, alii tamen eosdem esse statuunt. Statura ipsorum ulnam non excedere credebatur. Apparebant autem præsertim ægrotis noctu, lunâ lucente, credebantur etiam nutritoribus suis afferre frumentum ex ingratorum horreis ablatum. Martin. Murin. in Chron. Pruss. cap. V. p.9. Ejusmodi virunculos domesticos, qui domestica opera solebant obire, habuisse videntur Gothi in Septẽtrionalibus Regionibus, teste Olaô Magnô. lib. III. c. X. *Quintum* Genus Deorum Constituebant SERPENTES, qui & apud Ægyptios, Gothos, Indos, Calecutenses, Samogitas fuerũt pro Diis culti, quô nihil acceptius fieri potuit Diabolo, qui primos nostros Parentes sub specie Serpentis decepit. Quàm pertinax ille cultus fuerit, docemur à Sigismundô L. B. ab Herberstein, qui memorabile exemplum hujus rei de Lithvanô quodam commemorat: *Cùm*, inquit, *priori ex Moscoviâ itinere rediens in Troki venissem, referebat hospes meus, ad quem fortè diverteram, se eodem, quô ibi eram annô ab ejusmodi quodam serpentis cultore aliquot alvearia apum emisse, quem cum oratione suâ adverum Christi cultum adduxisset; utq; serpentem, quem colebat, occideret, persvasisset; aliquanto post, cum advisendas apes suas eo reversus fuisset, hominem fa-*

cie

facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum deducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit, se quod serpenti Deo suo manus nefarias injecisset, ad piaculum expiandum luendamq; pœnam, hac calamitate puniri: multaq; graviora, si ad priores ritus suos non rediret, se pati oportere. In Comment. rerum Moscovit. fol. 84. Conf. Scaliger adv. Cardanum Exercit. CLXXXIII. sect. 2. & Gerh. Joh. Vossius lib. IV. De Orig. & progressu Idololatriæ cap. LXIII. BUBONIBUS etiam Prussos Divinos honores detulisse, testantur Autor Chronici Ordinis in Hermānô de Salza fol. 28. b. & Gvagvinus in Sarmatiâ Europæâ in Prussiæ descriptione. Inter Feras præcipuè ALCEM honorarunt. Erasm. Stella lib. 2. Antiq. Boruss. non logè à princip. *Sextum* Genus Deorum apud Veteres Prussos constituebant *res inanimatæ*, ut præter *Solem, Lunam* & *Stellas*, de quibus supra, IGNIS. Henneb. de Vet. Pruss. p. 12. LACUS & FONTES. Helmold. lib. 1. Chron. Slav. cap. 1. Johann. Dlugoss. Tom. I. Hist. Polon. lib. II. ad An. 997. D. Cœlestinus Mislenta refert, esse in tractu Insterburgensi vicum cognomento Napirsken, quem præterlabitur fluvius *Golba*, cujus adoratores olim monoculos fuisse redditos, iludq; magnæ gratiæ signum fuisse, in Præfat. ad Manuale Pruten. SYLVAS & Singulas etiā quasdam ARBORES adorabāt de quibus in sequentibus. Tandē Gvaginô teste OMNES PENE CREATURÆ fuerunt à Prussis cultæ, ita tamen ut singulæ PROVINCIÆ unum aliquem Deum ex dictis sibi vendicarent præ reliquis. Sic enim Chronici Ordinis Autor scribit. Ein jegliches von obbemelten Landen zu Preussen hatte einen sonderlichen Abgott / den sie anbeteten vor ihren Gott. Eines theils beteten die Sonne an / etliche den Mond / etliche die Sterne. Item Leute / Thiere / Schlangen / Frösche / den Donner. Etliche hielten die Walde und Püsche heilig / etiche die Wasser fol. 28.

 V. Deinde

V. Deinde lubet etiam inquirere, in quibusnam locis antiquitùs Prusſi Deos ſuos coluerint. Primarius locus, ubi tres Dii majores fuerunt culti, dictus fuit ROMOVE urbs à Romà ſic dicta. Ubi autem urbs illa ſita fuerit, ignotum ferè eſt, ut oſtendimus in Diſputat. De Orig. Pruſ. num. XXI. Quod non fruſtrà, ſed divinâ id ordinante providentiâ contigiſſe credendum eſt, videlicet ne Prusſi veteres, ſub Ordinis Teutonici imperiô adhuc ad idolatriam proni, ad locum illum, Deos ſuos adoraturi, confluerent. Appellant alii hunc locum ubi tres illi Dii colebantur *Kykaioth*. Henneb. tract. de Vet. Pruſs. p. 11. b. & 13. Alii autem *Romove* diſtinguunt à *Rykaioth*. Dicunt enim Deos minores fuiſſe cultos in Rykaioth, majores autem in Romove. Et ita inſuper hac de re loquuntur acſi multa fuerint loca Rykaioth dicta: ſic enim Autor quidam Chronici Prusſici Anonymus: Die gemeine Stellen / da ſie die gemeinen Abgötter ehreten / wurden Ryckayoth genandt. Aber die Stelle / da die groſſe Eyche war / darin die drey Abgötter waren / und der Hohepriester ſeine Wohnung hatte / die hieſſen ſie Romove nach Rom. quæ ad verbum exſcripſit VVeiſſel in Chron. Pruſſ. p. 18. a. Specialis locus in quo Deorum cultus exercebatur plerũq; fuit QVERCUS quæ & apud multas gentes, ut Romanos, Græcos, Celtas, Jovi Deorum præcipuo ſacra fuit Vid. Maxim. Tyrius Serm. XXXVIII. Eligebant autẽ Prusſi in hunc finem ſœpius quercum inſignis proceritatis. Tales quatuor præcipuas fuiſſe in Prusſiâ legimus. Præ reliquis omnibus eminebat *Quercus Romove*. Cujus diameter ad ſex omnino cubitos, ſive Geometricos pedes duodenos, protendebatur. In ſummitate fuit latisſima, & ramis mutuum inter ſe nexis, adeô impervia, ut pluvia per ramos & folia nullò modô poſſet penetrare. Et quod majorem admirationem meretur in hyeme quoq; viridis conſpiciebatur. Henneb. in Chron.

fol.

fol. 465. & VVeiſſel. p. 17. b. Schuz. in Chron. Pruſs. fol. 2. ſeq. id quod etiam Scriptores referunt de illa arbore prope Vpſaliam Diis Gothorum dicata, quod ſemper vireret, licet non fuerit ex earum arborum genere, quod aliàs naturâ ſuâ ſemper virere conſvevit. Vid. Olaus Magnus lib. III. cap. V. Fuit autem tripartita. Ex unâ parte Prutenorum Deum, qui Percunus dicebatur habebant. Ex alterâ parte Potrimpos idolum fuit. Tertiâ in parte Picollos idolum ſitum erat Alex. Gvagvin. in deſcript. Prusſiæ p. m. 321. ſeq. Addit Hennebergerus quod Percuni facies iracunda fuerit Potrimpo obverſa. Hæc quercus adeò Sacra eſſe putabatur, ut ſi folia ejus homines vel pecudes de collô ſuſpēſa portarent, præſervarentur ab omni futurô infortuniô. Henneb. de Vet. Pruſs. p. 12. a. *Secunda* inter celebriores illas Qvercus fuit prope oppidum Heiligenbeil/quæ *Gorcho* fuit dicata à VVeidevvutô. Ad eam exſcindendam cum Anshelmus primus Epiſc. VVarmienſis aliquem miſiſſet, contigit ut ſecuris in everſorem ictum converteret. Hoc miraculum cum Prusſicis gentibus innotuiſſet, ſecuri Deo conſecratâ, urbem, quæ anteà dicebatur Schvventomeſt. i. e. Hieropolis, poſthæc appellarunt Sanctam Securim Heiligenbeil Henneb. in Chron. fol. 156. Schütz Chron. p. 4. Qvamvis alii aliùndè hanc appellationem deducant teſte Schuzio l. c. *Tertia* quercus raræ proceritatis fuit ad Viſtulam probè urbem Thorunienſem vel propè Mariæburgum, quam quercum equites Ord. Teuton. Prusſiam ingresſuri in modum caſtelli erectis propugnaculis juxta ripam muniverunt. vid. Æn. Sylvius in deſcript. Europæ cap. XXIX. Dlugoſs. lib. VI. fol. 580. Henneb. in Chron. Pruſs. pag. 452. tit. Thorn VVeiſſel. pag. 48. b. Hæc quercus adeò fuit celebris, ut etiam Author quidam Belgicus, putet, ibi fuiſſe tres illos Deos majores cultos, ſed ſine dubiô perperam hæc aſſerit. *Quarta* quercus fuit prope oppidum

Welau & pagum **Oppen** quæ tantæ fuit magnitudinis, ut cùm excavata eſſet, eam eques ingredi, ibiq; equum ſuum in gyrum potuerit circumagere, quod adhuc ſuperiori ſeculô feciſſe fertur Sereniſs. Princeps Albertus Senior, ut & filius ipſius Sereniſs. Fridericus Albertus. Habuit truncus ejus in circumferentiâ 27. ulnas. Cujus rei teſtimonium à Senatu VVelavienſis oppidi habuiſſe ſe teſtatur Henne bergerus, paulò enim ante jam conciderat, non tàm propter vetuſtatem quàm hominum ad eam accedentium culpam. Quicunq; enim ad eam viſendam acceſſerat, ſtatim nomen ſuum cortici incidebat, quô factum eſt, ut tandem arbor illa, poſt hominum memoriam, ut Hennebergerus putat, maxima, exaruerit. Henneb. in Chron. fol 472. ſeq. Et ibi Deum aliquem fuiſſe cultum, non eſt quod dubitemus. In aliis cavis quercubus fœminæ ſolebant ſerpentes lacte nutrire, eosq; ut Deos colere. Henneb. de Vet. Pruſs. pag. 12. a. Deinde præter quercum etiam TILIA ab ipſis fuit pro Deô culta, aut tantùm ſacrata, ut ad eam Dii alii colerentur, qualis Tilia adhuc fuit tempore Hennebergeri prope pagum Schakunicum, ad quam illô adhuc tempore multi confluebant. Henneb. in Chron. fol. 416. Porrô ſub SAMBUCO etiam Dii habitaſſe credebantur, imò adhuc hodiè quibusdam in locis apud rudem plebeculam ſuperſtitio hæc remanet, ut credat, ſub Sambucô morari homunculos illos ſubterraneos *Barſtuccas* à Veteribus Pruſſis dictos, quod & mihi olim puero mulierculas aliquoties retuliſſe memini. Johannes Meletius in ſpecie *Putſcætum* Deum ſub Sambucô habitaſſe dicit. De *Gothis* in Sveoniâ, quod arbores colant, dicit Scholiaſtes Adami Bremenſis ad pag. 152. n. 91. *Prope templum*, inquiés, *eſt arbor maxima latè ramos extendens æſtate & hyeme ſemper viridis; cujus illa ſit Generis ſcit nemo. Ibi etiam eſt fons ubi ſacrificia paganorum ſolent exerceri.* Hæc ille. Deniq;

totæ

totæ etiam SYLVÆ propterea fuerunt sacræ, quia credebant in illis Deos habitare secundum illud Poëtæ:

Habitarunt Dî quoq; Sylvas.

Ejusmodi Sylva Diis dicata fuit propè pagum Pobeten in Samlandià teste Henneb. in Chron. tit. Pobeten fol. 350. Conf. Erasm. Stella l. c. Mechovius lib. IV. cap. 45. Jodoc VVillich. in Comment. ad Tac German. Part. 1. cap. 14. p. 476. Eadem de *Gothis* in Sveoniâ habitantibus tradit Adamus Bremens. Sec. XI. Scriptor: *Corpora immolatorum*, inquiens, *suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tàm sacer est gentilibus, ut singulæ arbores ejus ex morte vel tabô immolatorum divinæ credantur*, in lib. De Situ Daniæ & reliq. Septentr. Regionum cap. XCIV. (233.) p. 153. Alii etiam Dii colebantur in *Domibus*, ut *Serpentes* subfornace vel in angulô vaporarii. Et *Coltky* in *Occultis ædium locis*, vel in *Congerie lignorum* Divinis honoribus afficiebantur. Joan Melet. l. c.

VI. Antequam ad ipsum modum cultûs Divini accedamus, videndum nobis prius erit, per quosnam cultum illum instituere fuerint soliti. Primus & supremus eorum Pontifex dictus fuit *Krive* qui in urbe *Romovâ* residebat, teste Johanne Dlugosô; lib. II. ad an. 997. Alii ipsum vocant *Crive Kirveito*. VVeisselius etiam in quibusdam Chronicis reperisse se dicit hoc nomen ita scriptum *Evarto Kryve* sive *Krilbe* pag. 18. Deinde legit *Ervarto Grille*, & pag. 27. a. *Evarto Grille* sive Kyrille. Hennebergerus Pontificē hunc à Masoviis aliisq; ipsum honorantibus *Crive*, à Prussis verò *Kirwaite* dictum fuisse dicit, in Tract. de Vet. Pruss. pag. 13. In significatione quoq; vocis explicandâ variant Authores. Quidam putant Pontificem hunc primo appellatum esse à Prussis *Kirie Kirieito* deductâ adpellatione à Κύριος, acsi diceres *Sanctus Sanctorum* vel *Sanctus Sanctissimus*. Deinde

verò

verò ab hominibus rudibus id corruptum esse in Crive Kirveito, ut habet Murinius in Chron. Pruss. cap.III.p.4. idem innuunt Gvagvinus in descriptione Prussiæ & Albertus Wijuk Kojalovvicz Part.I.Hist.Lith.lib.I.pag.21. Qvi Germanicè Chronica Prussica conscripsêre mirè se torquent in explicandâ hâc voce. Hennebergerus dicit illud nomen idem significare quod Unser Herr / nechst nach GOtt / oder Gottes Mutter. in Tract. de Vet. Pruss. pag. 13. Alius Autor Anonymus, cujus Chronicon MS. exstat, sic illam vocem exponit: Dieser ist unser Herr nechst Gotte / ohne seinen Willen wollen wir nichts thun / wir sollen und wollen ihm folgen gleichsam unsern Göttern. Qvæ verba ex ipsô exscribit VVaissel. in Chron. p.17. Casp. Schuzius dicit quod Prussorum lingva Kirvvayte significet den Mund Gottes / in Chron. fol.3. fin. In Dietmari Chronico dicitur, quod hæc vox inter alia significarit idem quod, Glück unsern Göttern. Thomas Clagius Kirvvaite *Divûm mentem* significare notat lib. I. Lindæ Marian. c.VIII. p.44. Sed quid de his interpretationibus sit judicandum facilè apparet. Hic Pontifex tantæ fuit apud Prussos authoritatis ut etiam beatum se prædicarit, cui ipsũ videre aliquando contigit. Imo & apud Masovios, Samogitas, Lithvanos, Russos & Livonos, tantum ipsi deferebatur honoris, ut etiam ab eô missos magnò affecerint honore si modò Signũ aliquod ab illô sibi datum ostenderint. Simile quid de *Tartarorũ Rege* tradidit Marcus Paulus Venetus, lib.I. de Regionibus Oriental. cap. IV. Conf. & lib. I. cap. IX. Ille Kirvaites senio confectus poterat se in honorẽ Deorum pro populo devovere. Convocabatur tum populus per VVeidelottas: Constructâ pyrâ *Crive* ad populum verba faciebat, admonẽs eos, ut Deos suos ex animô colerent, deinde interrogabat an eos pœniteret quod Deos tàm frequenter flagitiis

tiis suis offenderint, Annuente populo dicebat se Diis pro peccatis populi seipsum offerre velle; Succensâ itaq; pyra comburebat se ipsum. Sequente die Weidelottæ alium Crive ex suò numerò coram populô proclamabant, eum à Diis ad hoc munus denominatum dicentes. Henneb. in Tract. de Vet. Prus. pag. 13. seq. ex Grunov. Tract. 3. cap. 1. Alii Sacerdotes inferiores dicebātur WEIDELOTTÆ, à quibusdam etiam appellantur VURSKAITI, ut à Johanne Meletio, qui nominis Weidelotarum non meminit. Occurrit etiam hoc nomen *WURSKAITUS* pro *Weidelotta* apud Weissel p. 19. Alio nomine etiam dicebantur SIGONOTTÆ. Weissel p. 23. b. quod nomen etiam exteris Scriptoribus fuit notum. Author quidam Anonymus qui in fine Sec. X. vitam S. Adelberti scripsit (quæ Vita Cosmæ Pragensi tribuitur à quibusdam, sed perperam,) cum recensuisset quomodo Adalbertus in Prussiam veniens Populo prædicarit Evangelium, addit: *Prosilit ex furibundô agmine igneus SIGGO & totis viribus ingens jaculum movens transfigit ejus penetralia cordis: Ipse enim Sacerdos idolorum & Dux conjuratæ Cohortis velut ex debitô prima vulnera facit.* In vitâ Adalb. in fin. Illi Weidelottæ sive Sigonottæ fuerunt duplices: Alii in Rykajoth qui in circuitu *Quercus Romove* magnô numerò habitabant: Alii in pagis hinc inde fuere dispersi, & reperiebantur inter Weidelottas Viri & fœminæ, omnes provectæ jam ætatis. Viri non poterant attingere fœminas, neq; fœminæ viros. Scortantes Weidelottæ igni cremabantur. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 15. Ejusmodi Weidelottam adhuc suô tempore circa An. 1531. in Diœcesi Pobetensi in Samlandiâ latuisse testatur Hennebergerus l. c. D. Cœlestinus Mislenta officia Sacrificulorum dicit fuisse (1) sacrificare (2) homines in cultu Deorum informare (3) modum vivendi præscribere

(4) Devote orare (5) populo benedicere, inq, modo benedicendi plebi præire (6) de dubiis & perplexis responsa dare.

VII. De ipso cultu Deorum in genere notamus, quod ad Prussorum sacra *Christiani* non fuerint admissi, & si aliquando contigisset Christianum (vel etiam alium extraneum) sacra illa videre, statim sangvine suô illud expiare cogebatur: Et licet ille pœnam effugisset, non poterat tamen Diis illis aliter quàm sangvine litari. Casp. Schuz lib. I. Chron. Pruss. fol. 3. Testatus idem est jam antiquitus Helmoldus Sec. XII. Scriptor. *Usq; hodiè profectò*, inquiens, *inter illos cum cætera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.* lib. I. Chron. Slav. cap. I. Ipsi etiam Prussi non poterant in sacrarium Qvercûs Romove ingredi præter Pontificem ipsorum Cryvve Kyrvveyto & præcipuos Weidelotas. Fuisse enim perhibentur circa hanc quercum vela Sericea, octo (secundum alios septem) ulnarum in altitudinem extensa. Dum sacra fiebant, vel aliquis adorandi vel offerendi gratia ad Idola venerat, tum illi Deorum ministri velum, ut idola ab omnibus conspicerentur, à Qvercu removebant. Alex. Gvagvin. in descript. Pruss. Hoc etiam ad cultum Deorum in genere notandum est, quod *humanis victimis* Prussi soliti sint ipsis (Præsertim verò *Picollo* & *Patrimpo*, ut notat Henneberg. de Vet. Pruss. p. 11. b.) litare. Non solùm enim in bellum ituri hominem ab hoste captum Diis immolabant, ut in Originibus Prussicis ex Grunoviô & Hennebergerô probavimus, sed etiam in bellô Ducem hostium captum solebant proprio eqvo imponere, pedibusq; eqvi ad diversas arbores alligatis in honorem Deorum comburere. Ordens Chronick / fol. 110. Si plures captivi fuerunt, sorte designabatur, qui Diis immolari deberet. Henneb.

neb. de Vet. Pruſſ.p.8. b. Forſan etiam hunc morem didicerunt à Gothis Pruſſiam antiquitùs incolentibus. Nam & apud Gothos Scandinavicos homines Diis immolabantur, vid. Adam. Bremenſ. de ſitu Dan. cap. XCIV. (234) p. 153. & Scholiaſtes ejus ad caput citatum. In ſpecie quoq; captos ab hoſte Diis apud Gothos fuiſſe immolatos, tradit Johan. Schæffer. in Vpſal. Antiq. cap. X. p. 136. Ex fluxu etiam ſangvinis immolatorum de futurâ proſperitate angurabantur Veteres Cymbri, Septentrionales populi, ut teſtatur Strabo lib. VII. id quod noſtros etiam Pruſſos feciſſe, probavimus in Origin. Pruſſ. n. II. Porrò apud Pruſſos Veteres *albi equi* Diis immolabantur, Nec licebat ulli Pruſſorum album eqvum ad uſus domeſticos eapropter adhibere. Henneb. de Vet. Pruſſ. p. 8. a. b. Præda in bello capta in quatuor partes dividebatur: Prima in honorem Deorum comburebatur: Altera cedebat Pontifici Kirvvayte. Henneb. de Vet. Pruſs. Pag. 8. b. Cum aliquid populo nomine Deorum denunciandum erat, portabant Weidelottæ ſuum Crive Kyrvveyto humeris ſuis, collocabantq; ipſum ſuprà ſtruem lignorum, Ibi conſidens credebatur cum Diis colloqui; quod igitur populo dicendum erat, illud Weidelottis indicabat, qui illud iterum populo circumſiſtenti denunciabant. Sim. Grunov. tractat. 3. c. 1. & ex eô Henneb. de Vet. Pruſs. p. 13. b. Peculiaria Deorum illorum Picolli, Percuni, Potrimpi, munera fuerunt ſequentia: PICOLLO conſecratum erat *mortui alicujus hominis caput*, teſte Alex. Gvagvinò l.c. Hēnebergerus dicit etiam potuiſſe ſervari *caput mortuæ pecudis*. Huc forſan referre poterimus morē Gothorum qui in honorē Othini ſui, quem nos Veterum Pruſſorum Picollum fuiſſe diximus, ex craniis occiſorum à ſe hominum bibebant. Vid. Schæffer. in Vet. Vpſal. cap. X. fin. pag. 152 In feſtis Principalioribus ſebum Picullo cremabatur in ollâ. In ædibus *Supanorum* i.e.

Nobilium & Magnatum, aliquo mortuo, sæpius apparere Picollus, & qui ipsi nihil offerre volebant, eos noctu mirè divexare. Si neq; hoc curaretur, Deusq; ille tertiûm rediret, sangvine crimen expiari. Weidelota quippe sibi vulnus in bracchio infligebat, ut sangvis efflueret, tum si sonus aliquis audiebatur intra Sacrarium, habebant hoc ut signum placati Numinis. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 10. Weissel. & alii. PERCUNO perpetuus ignis alebatur, quernis lignis semper appositis. Hoc igne holocausta comburebantur. Si contigisset aliquando negligentiâ Ministrorum ignem extingvi, Weidelota, cujus erat officium curam ignis gerere, capitali suppliciô afficiebatur. Gvagvin. Henneb. Weissel. Fuit hoc etiam apud Lithvanos in usu, qui itidem in Kierni Principis sui honorem in editô colle, Dzievvaltoviæ propinquo, inter alia sacra perpetuum ignem quercu alebant per certos & ad hoc ipsum electos Sacerdotes. Cojalovvicz Part. I. Hist. Lith. lib. II, pag. 45. Cœlô tonante putabant Prussi suum Krive Kirvveyto cum Percunô loqui, ideo in terram procidebant, his verbis Percunum adorantes: **Dewus Percunos Absolomus.** Rogabantq; ut sibi pluvias & serenitatem, justo tempore largiretur. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 11. a. Johannes Lasicius Polonus aliam formulã precationis apud Lithvanos, Prussis conterminos, usitatam fuisse refert: Ibi enim cœlo tonãte agricola capite detectô & succidiã humeris per fundũ portans hisce alloquitur Percunũ: **Percune Devaite nie muskiund mana/ diewu melsu tawi palti miessu.** *Cohibe te*, inquit, *Percune neve in meum agrum calamitatem immittas: ego verò tibi hanc succidiam dabo.* Verùm postquam nimbus præterit, carnes ipse absumit. In Tract. de Diis Samogit. p. 300. POTRIMPO in perpetuum cultum *Serpens*, ollæ impositus, conservabatur, & lacte, ut commodius viveret, alebatur. Olla manipulis

pulis frumenti erat contecta.Henneb.in Chron.fol.465. Si aliàs Potrimpo honor aliquis exhibendus erat, Weidelota tribus diebus jejunare & in nudâ terrâ cubare cogebatur, antequam illud fieret.Henneb. in Tract.de Vet.Pruſs.p.11.b. Suffitus fiebat Potrimpo ex thure & cerâ. Infantes etiam in honorem ejus immolabantur. Henneb.in Chron.fol.465. fin. Sangvine immolatorum hominum pecudumq; Qvercus illa in Urbe Romove adeò fuit conſperſa, ut horrorem aſpiciẽtibus incuteret. Terrorem hunc augebant ipſi quoq; Dii, qui ſæpius illô in locô tonitrua, pluvias variasq; tempeſtates excitabant. Apparebant inſuper hominibus in formâ Serpentum, Draconum, ignis, & aliarum horribilium rerum. Schuz in Chron. Pruſſ.lib.I.fol.4.a. In aliis etiam Sylvis ejusmodi ſpectra ſpectantium oculis ſe ſe ingerebant. Vid. Joan Laſſicius Polonus in tractat.de Diis Samogit. pag. 299. Idem de Gothis refertur, quod arbores Diis ſacratas ſangvine immolatorum conſperſerint. Vid. Adam. Bremenſis: lib. de ſitu Dan. c. XCIV. (234.) Sic etiam Lucanus de Scytis lib. III. v. 105. dicit:

Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbor.

VIII. Cœterorum Deorum cultum ex ſequẽtibus Feſtorũ ſolẽnitatibus cognoſcemus. I. Die S. Gregorii. i.e.d.22. Mart. PERGUBRIO Deo germinum, ſacrificium facere ſolebant Pruſſi, Feſtum ipſum appellabatur *Pergubri.* Celebrabatur autem ſequenti modô: Ruſtici conveniebant in unâ domô, ubi eos cereviſiæ dolium unum atq; alterum expectabat. Sacrificulus tenebat dextrâ obbam ſive pateram (ex talibus etiam vaſis antiquos Gothos bibiſſe concludunt quidam indè, quia hoc Paulus Diaconus aſſerit de Longobardis quos ex Scanzia oriundos eſſe putant. *Quod genus poculi,* ait Paulus Diac. *apud eos Schala dicitur, lingvâ verò Latinâ patera vocitatur.* lib. de geſt. Longob. cap. XXVII.) cereviſiâ

plenam, invocatoq; Dæmonis nomine decantabat illius laudes, quarum iuitium dat nobis Martinus Murinius: **O Weſzpocie Dewe muſu Pergubrios** &c. *O Domine Deus noſter Pergubrios*, In ſequentibus hæc fermè dicebat: *Tu abigis hyemem, tu reducis amœnitatem Veris: per te agri & horti virent: per te nemora & ſylvæ frondent.* Joan Meletius de Relig. Pruſs. non long. à princ. Cantilenâ finitâ, dentibus apprehendens obbam, ebibebat Cereviſiam nullô adhibitô manus adminiculô: ipſam obbam ita epotam retrò ſupra caput jaciebat. Quæ cùm è terrâ ſublata, iterūq; impleta eſſet, precabatur Sacrificulus ſive Wurskaites Percunum, ut pluviam largiretur, Pickollumq; cum ſuis ſubditis abigeret, ebibebatq; eodem modô cereviſiam. Poſthac Wurskaites tertio *Schwayxtixtum* Deum adorabat ut juſtô tempore fruges gramine & pecora lumine ſuô colluſtraret & foveret. Quartò *Pilvitum* orabat ut largiretur gramina & meſſem uberem. In honorem autem ſingulorum Deorum obbam cereviſiæ ebibebat, ſine adminiculô manus. His peractis omnes quotquot aderant, bibebant ordine ex obbâ impletâ, atq; in laudem Pergubrii hymnum canebant: Poſteà epulabantur totâ die, choreasq; ducebant, Johannes Meletius l.c. Weiſſel in Chron. p. 20. Quamvis Meletius cultûs aliorum Deorum præter ſolum Pergubrium in hôc feſtô nullā faciat mentionē. II. Menſe Auguſtô cum jam fruges ad demetendū eſſent maturæ, congregabantur Ruſtici in agris ad ſacrificium, quod lingvâ Rutenicâ dicebatur **Zazineck** i. e. initium meſſis. Congregatis agricolis, ſi divitem meſſem Dii largiti fuerant, exhortabatur Sacrificulus juventutem ad gratiarum actionem. Finiebatur hoc ſacrum exhauſtâ obbâ cereviſiæ. Si verò minus uberem meſſem à Diis adepti fuerant, invocabat Sacrificulus Auſchvveitum ut oraret Pergubrium, Percunum, Schvvayxtixum, Pelvitum

aliosq;

aliosq; Deos, ne sequentibus saltem annis largam messem denegarent agricolis. Confitebantur etiam omnes peccata sua, quibus Deos offendissent. Deinde singuli pro facultatibus suis conferebant frumentum & cerevisiam; fœminæ afferebant panem ex primitiis frugum coctum: Exigebatur etiam mulcta ab illis, qui scelus aliquod perpetraverant: Pecunia autem inde collecta in commune conferebatur, ut inde convivium instrui posset. Hoc convivium tamdiu durabat, quādiu cerevisia supererat. Weissel in Chron. pag. 20. Sacrô peractô unus ex congregatione illâ delectus messem solenniter auspicabatur, manipulum autem demessum domum secum deferebat. Postridiè omnes, primò illius Domestici, deinde cœteri quibuscunq; placebat, messem faciebant. Johannes Meletius. III. Finitâ messe, frugibusq; collectis sub finem mensis Octobris iterum solenne sacrificium instituebant, quod Rutenicâ lingvâ **Ozineck** i.e. consummatio messis dicebatur: Ibi Rustici ex totô pagô, aliquando etiam ex pluribus pagis coacti, mensæ fœnum, posteà panē, ac ab utrâq; parte duo vasa cerevisiæ plena imponebant. Deinde adducta utriusq; sexus domestica animalia, Suem, gallum, anserem, vitulum, (addit Murinius ovem & arietem, caprum & capram) sequenti ritu mactabat Sacerdos sive Weidelota: Nempe certa verba prolocutus, animalis caput cœteraq; membra fuste verberabat, quem cœtera turba sequebatur eadem agens & sequentia verba proferens; *Hæc tibi O Ziemiennik Deus* (sic sine dubiô Pergubrium vocabant) *gratias agentes offerimus, quod nos hoc annô conservaveris incolumes & omnia nobis abundè dederis: idem ut & in posterum facias, precamur.* Antequam verò carnes mactati animalis comederent, unusquisq; eorum (ut vult Gvagvinus) vel Sacerdos ipsorum (ut asserit Murinius) ferculi portiunculam abscissam in omnes ædium angulos abjiciebat

hæc

hæc verba prolocutus: *Accipe O Ziemiennik gratô animo sacrificium atq; lætus comede.* Tum demum ipsi quoq; lautè epulabantur. Hunc ritum suâ adhuc memoriâ in nonnullis Lithvaniæ atq; Prussiæ locis observatum fuisse testatur Lasicius l.c.p.306, Murinius insuper, vel potius ille cujus Chronicon interpretatus est, addit suô tempore hoc observari solitum in Curlandiâ & Livoniâ, item in Sambiâ Prussiæ provinciâ, ut & in districtibus Insterburgensi, Ragnetensi &c. Vid. Murinius in Chron. Pruss. cap. V. pag. 8. Consvetudinem *in honorem Deorum bibendi* etiam apud Gothos fuisse usitatam fusè probant Joh. Loccen. lib. II. Antiq. cap. XXI. & Joh. Schæfferus in Upsalia Antiq. cap. X. p. 143.

IX. Præcipuum sacrificium quod finitâ messe fieri solebat, fuit illud, quô *Caprum* sacrabant & immolabant, quod sacrum adhuc superiori seculô in Sambiâ (unde Samlandi dicti die Bockheiliger) fuisse in usu multi testantur: Georgius Sabinus Primus Academiæ nostræ Rector sic eâ de re canit lib. 5. Eleg. 5.

Utq; bonis studiis, ita moribus excolit urbes (Albertus)
Imbuit ac verâ Religione Dei
Namq; ferox hominum genus est & agreste sub Arctô
Notitiam nondum quod pietatis habet.
Cœruleos instar sed adorat Numinis Angves
Mactatoq; litat sacra nefanda capro

Valentinus Screkius in Carmine Gratulatoriô quod scripsit in felicem Alberti Ducis è castris An. 1563. reditum sic scribit:

Impia Religio vanis agitata sub aris
Cessit, & hoc cœpit sub Duce pulsa fugam.
Nam populus quondam qui Numina vana colebat
Auxilii quibus & nil rationis erat,
Pars Satyros, Faunosq; leves venerata: litabat
Fumida suppositis ignibus exta capri.

Et

Et Johannes Funccius: *Populus*, inquit, *agrestis & Dæmoniorum cultui deditus in eâ terrâ habitabat. Quod reliquiæ in hodiernum diem testantur. Religio summa cum Mosis instituti-one de sacrandô & immolandô hircô in festô propitiationis in multis conveniebat; Quem sacrificandi hirci morem Sudavii— ad hunc diem (licet manifestè non ausint prohibente eorum nefas piô Principe Albertô) observare dicuntur.* In Commentario ad Chronolog: suam lib.10. ad An.Chr.1217. Porrò Simon Grunovius qui circa An.1524. Chronicon suum conscripsit, testatur insuper, se ceremonias in hoc sacrô frequentari solitas oculis suis vidisse. Refert enim se aliquando fortè fortunâ domum quandam rusticam intrasse, in quâ multi, quoniam hoc palam non licebat, clam congregati fuerant agricolæ. Hi simulac Grunovium conspiciunt, omnes ipsum adoriuntur, mortem ipsi præsentissimam minantes. Grunovius in tantô periculô constitutus, Prussicâ lingvâ ipsos alloquitur, mortemq; deprecatur. Rustici auditâ lingvâ Prussicâ præ gaudiô exultare incipiunt, clamantes: **Sta nusʃen Kikie/ noʃsen Kikie**; i. e. *Hic noster Dominus, noster Dominus.* Posthæc juramentô ipsum obstringunt (quod in nomine Percuni præstare coactus est) se nunquam hoc Episcopo, in cujus Diœcesi habitabant, indicaturum. Ritus verò in sacrificandô hircô observabantur sequentes: Conveniebant rustici aliquando vel è sex pagis in horreum, ubi ignis in longitudinem lignis dispositis constructus erat. Viri caprum adducebant; Fœminæ verò adferebant farinam triticeam (secundum Meletium siligineam) eamq; subigebant. Omnibus paratis Weidelota, Grunoviô teste sublimi solio insidens, ad rusticos verba faciebat de ipsorum Origine & rebus antiquitus gestis, deinde etiam de præceptis Deorum, quid illi ab hominibus fieri velint. Posteâ Weidelotta utrâq; manu caprô introductô impositâ

invocabat ordine Deos supra num. III. & IV. enumeratos, Occopirnum, Antrimpum & alios. Inde singuli rustici Weidelotæ peccata sua confitebantur. Sub hæc omnes, quotquot in horreô præsentes erant, extollebant caprum (Murinius eorum quindecim numerat cap. V. p. 8. seqq.) sublimemq; tenebant, donec hymnus decantaretur. Eô finitô rursus demittebant caprum in terram. Tum sacrificulus hortabatur populum, ut solenne hoc sacrificium à majoribus piè institutum summâ cum reverentiâ facerent, ejusq; memoriam religiosè ad posteros conservarent. Concione ad populum habitâ ipse mactabat caprum sangvinemq; patinâ exceptum dispergebat, teste Johanne Meletiô. Ast Grunovius dicit se vidisse quomodo Weidelota capro caput amputarit, rustici verô adstantes sangvinem effluentem vasibus exceperint, pecoriq; suo ægro bibendum dederint. Addit Weisselius summâ curâ Prussos cavisse ne sangvis in terram efflueret, eoq; conspersisse omnes suas fortunas & omnia pecora. Posthæc capri carnem pelle nudatam secabant in partes, asseribusq; impositam assabant in furnô, ut Auctor est Grunovius testis oculatus. Joh. Meletius verò & Waisselius dicunt carnem fuisse coctam. Dum caro assabatur sive coquebatur Rustici singuli coram Weidelotâ ingeniculabantur, in quorum ille capillos involans eos misere vellicabat, sed mox vice versâ rustici simul omnes in VVeidelottam irruentes capillos ipsius itidem vellicabant. Quô majorem ille clamorem edebat eô magis Dii putabantur populo esse propitii. Deinde mulieres quoq; docebantur, quomodo vitam suam instituere deberent, teste Grunov. Hinc dum caro coquebatur vel assabatur viri ignem illum circumstabant (secundum Meletium) vel circumsidebant (secundum VVaisselium) mulieres verô parabant è farinâ siligineâ (secundum Meletium) vel triticeâ

(ut

ut vult Waisselius) placentas, quas non imponebant in furnum, sed viri ignem circumstantes hinc illinc per flammas eas jaciebant & jactatas excipiebant, idq́;| tamdiu donec illæ indurescerent & coquerentur. Tandem ad epulas digressi rustici, potabant ex cornubus (more Septentrionalium populorum, adeoq; & Gothorum. Vid. Plin, lib. XI. Nat. Hist. cap. XXXVII.) totâ die & nocte usq; ad vomitum. Ebrii summô mane extra villam progrediebantur, ubi reliquias ciborum certô in locò operiebant, ne à volatilibus vel à feris diripere͞tur. Omnibus his peractis dimisśòq; cœtu suam quisq; domum repetebat. Johā. Meletius. Schuzius. Thom. VVaisselius pag. 2. Ad consecrationem *Capri* referimus etiam consecrationem SUIS, quam instituerunt An. 1531. rustici in districtu Pobetensi in Samlandia. Ibi enim in conspectu utriusq; sexus per sacrificulum certis ritibus ex sui medio ad id negotii delectum cum recitatione precum idololatricarum & invocatione Dæmonum Sus mactabatur fausti ominis ergò, cujus caro à sacrificātibus omnibus frustatim assa devorabatur continuatis epulis ad septimū usq; die͞. Extra verò ossa & residuæ particulæ igne cremabantur, testibus Hennebergero de Ver. Pruss. & D. Cœlestino Mislenta l. c. Quorum postremus etiam tradit, antè aliquot annos certo & stato tempore rusticos sub noctem omnis generis edulia præparasse, primitias quoq; certâ precatione consecrasse: Ad quarum absumptionem Dæmone invitato Hypocaustum benè obserasse, ut Dæmon solus relinqueretur: Omnibus tum domesticis sub extremo vitæ discrimine in domicilium illud eo tempore interdicebatur ingressus. Credebatur hoc pacto Diabolus placari, ne noxam aliquam pecudibus vel frugibus inferret.

X. Sed & specialem quorundam Deorum cultum videamus. *Gorcho* Deo cibi potusq; prope Heiligenbeil oppi-

dum perpetuus itidem ignis servabatur. Sacrificia ipsi oblata, erant primitiæ fructuum & pisces primò capti. Imo & alibi sacrificia *Gorcho* offerebantur, ubi ad lacum ingens aliquis lapis reperiebatur (ut inter Frauenburgum, & Tolkemitam ad Habum adhuc suô tempore testatur Hennemberg de Vet. Pruss. pag. 10.) Ibidem Piscatores exituri piscatū in horreô quodam conveniebant, Ibiq; magnam vim piscium coctam asseribus imponebant in honorem Perdoyti Dei Nautarum & piscatorum. Inde epulabantur & bibebant cerevisiam suam ex pateris. Tandē Sigonota quasi Deo placato ventos dividebat indicandô, ubi & quô die piscari deberent. VVeissel. pag. 24. seq. *PUTSCÆTUM lucorum sacrorum* Præsidem sub Sambucô in terrâ habitantem Borussi, Samogitæ, Lithvani, Rutheni & Livones singulari veneratione colebant, teste Johanne Meletiô. Litabatur ei pane, cerevisiâ, aliisq; cibis sub sambucô positis. Invocabant autem Prussi veteres Putscetum vel Puschaytum, ut placatum redderet Marcopolum, Deum Supanorum sive Nobilium, ne graviore servitute à Dominis ipsi premerentur, utq; sibi mitterentur Barstuccæ, qui in horreâ suâ frumentum congererent & congestum conservarent. BARSTUCCIS vel Marcopetis vesperi collocabant in horreô super mensam mappâ instratam, panem, caseum, butyrum & cerevisiam, invitantes eos ad Convivium. Nec dubitabant de futurô fortunarum suarum augmento si manè reperirent cibos illos absumptos. Qui etiam cibus maximè fuit absumptus, cum in aliâ consecratione cumulatius apponebant. Quodsi verò cibus intactus in mensâ remanserat, tum magnâ angebantur curâ, omnia improspera fore credentes. Meletius l.c. VVeissel. pag. 20. b. Hanc superstitionem adhuc superiori seculô fuisse superstitem testatur Martin Murinius præsertim in Sambiâ, & quod maximè mirum

mirum eſt, prope Choniciam in Pomorelliâ. Murinius in Chron. Pruſs. cap. V. p. 7. Quando BARSTUCCÆ ſive etiam alii ſpiritus, qui dicebantur *Colthy*, alicubi habitare volebant, quâ ratione ſuam voluntatem patrifamilias declararint, verbis Meletii dicemus: *In domo*, ait ille, *congerunt noctu ſegmenta lignorum & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium ſtercora. Quod ubi paterfamilias animadverterit nec disſipaverit ſegmenta, nec ſtercora è mulctris ejecerit, ſed de inquinatô lacte cum omni familiâ ſuâ comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.* Melet in ſæpè allegatâ Epiſt. in med. Porrò SERPENTUM illorum, qui ſub fornace vel in angulô vaporarii fovebantur cultus ſic ſe ſe habebat: Certô anni tempore precibus VVeidelota evocabat Serpentes ad menſam. Illi exeuntes per candidum linteolum aſcendebant menſam. Ubi poſtquam ſingula fercula dilibarunt rurſus deſcendebant ſeq; in cavernis abſcondebant. Serpentibus diſcedentibus homines læti fercula prægustata comedebant, certò perſvaſi, illô annô cuncta proſperè ſibi eventura. Quodſi ad preces VVeidelotæ non prodibant, aut prodeuntes fercula non delibabant, magnam ſibi homines calamitatem imminere rebantur. Johan. Melet. l. c. Illos autem *Serpentes* quos in cavis quercubus nutritos lacte ſuprà diximus, ſic colere ſolebant mulieres. Conveniebant ſtatô tempore illos adoraturæ, precabanturq; ut viris ſuis vires largirentur, quô ab illis impraegnari poſſent. Henneb. de Vet. Pruſs, p. 12. a. *Inanimatorũ Deorum* cultus conſiſtebat etiam in ſolenni adoratione, qui autẽ ritus fuerint adhibiti, non adeò notum eſt. Ad cultum LACUUM illud pertinet, quod in cõſecratis lacubus non licuerit piſcari. In conſecratis etiã SYLVIS arborem exſcindere nefas fuit: *In eam caliginem mentis*, ait Matth. à Michoviâ, *prolapſi fuêre, quod & Sylvæ illæ & aves feræq; in illis* conſiſtentes ſanctæ forent, & quic-

quid in illos ingrederetur, ut Sanctum censeri deberet, violanti quoq; nemus, feras vel alites manus aut pedes Dæmonum arte curvabantur. lib. IV. Chron. Polon. cap. XCV. fol. 195. Commune hoc fuit Prussis cum veteribus *Romanis* de quibus Ovidius lib. III. Amor. Eleg. 1

Stat Vetus & multos incidua Sylva per annos.
Credibile est illi Numen inesse loco.

Idem apud *Gallos* fuisse observatum testatur Sulpitius Severus in vitâ S. Martini. Prussos verò hoc vel à *Lithvanis*, vel à *Gothis* accepisse verisimile est, de quibus Vid. Ericus Vpsal lib. Hist. Sveo Goth. pag. 2. Johan. Loccen in antiquit. Sveo Goth. lib. I. cap. III. pag. 18. Æn. Syl. in Discript. Lithvan.

XI. Prætereà habebant Prussi inter se sortilegos qui Ruthenicè *Burty* vocabanrur. Forsan autem iidem erant, qui aliàs dicebantur VVeidelotæ sive Vurskayti sive Sigonoti. Illi *Potrympum* invocantes ceram aquæ infundebant atq; ex signis & imaginibus in aquâ interfundendum effictis vaticinabantur, de quibuscunq; rebus interrogati fuerant. Meletius novisse se dicit mulierculam, quæ cum diu reditum absentis filii frustrà expectasset (erat enim filius ex Borussià in Daniam profectus) consuluit Sortilegum à quô edocta est illum naufragiô periisse. Cera enim in aquam fusa expressit formam fractæ navis & resupini effigiem hominis juxta navim fluitantis. Melet. l. c. post med. Iidem Sortilegi, opinor, adhibebantur à Veteribus Prussis in aliis casibus. Ut cûm res alicui furto ablata erat, afferri jubebat cerevisiam, accersere etiam solebat Sortilegum sive Sigonotam (qui plerumq; pauper, cœcus vel claudus erat. Cùm verò interrogaretur cur adeo pauper esset, respondebat, Deorum sic esse voluntatem.) Hic invocabat Deum Cœli Occopirnum & Deum terræ Puschkaytum, rogans ne furem paterentur aufugere. Inde acceptis duabus patinis

impone-

imponebat ille, cui aliquid furto ablatum erat, patinæ uni duos nummos, unum pro se, alterum pro fure, fundebatq; desuper cerevisiam. Posteà crucem sortilegus cretâ pingebat in patinâ, illamq; concutiebat. In quâ tum parte nummus furis reperiebatur, in eam plagã mundi contulisse se furem pronunciabat. Deinde in alterã patinam, collocatã in terrâ, infundebat cerevisiam, & suspiciens in cœlum hæc pronunciabat verba: *Benigne Deus cœli & terræ & stellarum per tuam potentiam jube tuos servos ne honor tuus tibi eripiatur, ne fur hujus rei* (nominabat autem rem furtô ablatam) *quiescat, donec reversus rem quam furatus est, reddiderit*. Tum attollebat patinam quærebatq; num bulla aliqua in cerevisiâ reperiretur. Si hanc reperiebat, persvasus erat, esse suas preces exauditas: Nullâ verô bullâ repertâ, exhauriebat cerevisiam, infundebatq; recentem, idq; tamdiu reiterabat donec signum aliquot exauditæ orationis suæ animadverteret. Hæc Waisselius. Sed Dietmari Chronicon addit, quod Sigonota, conspectô illo signo, ceremonias suas finiverit illis verbis: *In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen*. Et hoc suô adhuc tempore fuisse frequentatum tâm à Germanis Prussiam inhabitantibus, quàm à Prussis superstitibus, non|solùm in Sudiniâ (quamvis ibi præcipuè) sed etiam aliis in locis, testatur Weissel. in Chron. Pruss. pag. 22.

XI. Jam placet ulterius progredi & ritus Prussorum gentilium in *Nuptiis Funeribusq;* usurpari solitos enarrare. Et quidem de ritibus NUPTIARUM prius agemus. Quamvis autem apud Prussos licuerit tot ducere uxores quot quisq; emere poterat, testibus Æneâ Sylviô, Matthiâ à Michoviâ, Cromerô & aliis; ordine tamen observatô & certis ritibus adhibitis uxores ducebant, imò adeò sanctum habebant Conjugium ut etiam adulteros, violatores ejusdem, comburerent procul à conspectu Deorum, combustorumq;

rumq; cineres in viam publicam ſpargerent. Henneb. de Vet. Pruſs. p.17.b. Joannes Meletius apud veteres Pruſſos teſtatur virgines multis in locis geſtaſſe tintinnabulum, quod funiculo alligatum à cingulô pendebat usq; ad genua. Nec duci ſed rapi eas olim à viris ſolitas memorat, Veteri Lacedæmoniorum more à Lycurgô inſtituto, idq; non à Sponsô ſed à duobus Sponſi cognatis. Poſtquam verò raptæ eſſent, tùm primùm requiſitô parentum conſenſu matrimonium contrahebatur. Addit Waiſſelius Sponſum Parentibus Sponſæ dediſſe dotem pro ratione facultatum ſuarum, quæ aut in numeratâ pecuniâ, aut in frumentô, aut pecore conſiſtebat. Hunc autem morem ſinè dubiô à Scythis, quorum pars erant Alani, & Gethis traxerunt, de his enim Horatius ſic canit lib. III. Carm. Od, 24.

Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero
Dos eſt magna parentium
Virtus & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Id quod etiam de *Tartaris* ſive *Scythis Aſiaticis* narrat M. Paulus Venetus lib. I. de Regionibus Orientalib. cap. LV. & LXII. de *Gothis* idem habet Joh. Loccenius *quod uxores habuerint indotatas & quod apud ipſos adulterium fuerit capitale* lib. I. Antiq. Sveo Goth. cap. I. pag. 8.9. Deinde apud Pruſſos moris erat ut Sponſa conſangvineos invitaret ad convivium. Ubi convenerant, poſt cœnam rogabat eos ut ſecum virginitatem ſuam deplorarent. Annuentibus illis, Sponſa in has prorumpebat lamentationes: *O hue, O hue, O hue, quis quis patri & matri meæ lectum deinde ſternet? quis ipſorum pedes lavabit? quis ignem ſervabit? Chariſſime catelle, Chariſſima gallinula, ſuccula &c. quis vobis in poſterum pabulum præbebit?* hac lamentatione finitâ deducebant eam cognati ad

focum,

focum, ubi rurſus lamentationem ſuam ordiebatur: **O hue / O hue / O hue / Moy Mily Swenty Ponike** / i. e. *mî chare ſancte ignis, quis in poſterum ligna portabit ad te alendum, ut pater & mater posſint calefieri, & quis te conſervabit?* hæc cognati itidem faciebant, conſolabantur tamen ſponſam, ne nimium luctui indulgeret. Similes his lamentationes apud Samogitas hodiernos in uſu eſſe certum eſt. Cùm deinde Sponſa deducenda eſſet ad Sponſum, mittebat ei Sponſus currum. Huic inſidens Sponſa ſimulac ed limitas Sponſi ſui pervenerat, effusô curſu aliquis ipſi obviam procurrebat, alterâ manu torrem ſive lignum accenſum, alterâ cantharum cereviſiâ plenum tenens, & ter currum circumibat hæc verba proferens: *Quemadmodum ignem apud parentes tuos conſervaſti, ſic etiam apud Sponſum facias.* His dictis cantharum Sponſæ porrigebat, ut biberet. Auriga in hoc curru erat benè veſtitus dicebaturq; ipſorum lingva **Kellewefe**: Simulac ille ad januã ædium Sponſi pervenerat, quàm citiſſimè equô delabebatur, acclamantibus hoſpitibus in ædibus Sponſi conſiſtentibus: **Kelleweſeperiothe / kelleweſeperiothe.** i. e. *Auriga venit, auriga venit,* uti hæc explicantur in Chron. Dietmari. Auriga equô delapſus in domum Sponſi irrumpebat, ſellamq; ad id jam paratam & pulvinari, cui mantile impoſitum erat, ornatam, occupare nitebatur. Si primô ſaltu in ſellâ ſe collocare nõ poterat, pugnis exceptus per aliã januam ab hoſpitibus ejiciebatur: ſi verò primô ſtatim conatu ſellam occupaverat, ejus præmium erat mantile. Poſthæc excepta ab hoſpitibus Sponſa collocabatur in eadem ſellâ, propinabaturq; ipſi catharus cereviſiæ. Inde Sponſa deducebatur ad focum, aurigâ dictam ſellam portante. Ad focum iterum ſellæ Sponſa imponebatur. Sedenti pedes lavabantur. Eâdem verò aquâ, poſt lotionem pedum, con-

ſpergi conſveverāt hoſpites, lectus nuptialis, pecora omnia, & tota ſuppellex domeſtica. Poſtea Sponſæ oculi more multarum gentium obnubebantur velamine, osq; oblinebatur melle. Velatis oculis deducebatur ad ſingulas ædiū januas, quas contingere ac pulſare dextrô pede jubebatur his verbis: **Trauke/trauke**/ id eſt *pulſa, pulſa*. Ad ſingulas januas conſpergebatur triticô, ſiligine, avenâ, hordeô, fabis, piſis, & papavere. Qui namq; ſequebatur Sponſam geſtabat ſaccum omni genere frumenti plenum, illamq; cum conſpergeret, dicebat nihil horū defuturum ſponſæ, ſi religionem piè coluerit, remq; Domeſticā eâ diligentiâ, quâ deceret, curaverit. His ita peractis, auferebatur Sponſæ velamen ab oculis, conviviumq; celebrabatur. Noctu cum Sponſa in cubiculū deducēda eſſet, aliquis ex cognatis Sponſæ crines abſcindebat. Inde fœminæ præſentes capiti Sponſæ ſertum (Pruſicâ lingvâ **abgloyte** dictum) imponebant niveô linteolô adornatum, addētes hæc verba: *Filia eſt caro de carne tuâ, hoc ergo ſertū portabis, donec filium pepereris, & quando hoc fiet, virginitas tua finietur.* Poſthæc deducebatur ad thalamum, in quem benè pulſata & verberata conjiciebatur Sponſoq; tradebatur. Tum loco bellariorum afferebantur teſticuli caprini, vel urſini, quibus ipso nuptiarum die manducatis conjuges credebantur fieri fœcundæ. Eadem ex causâ nullum animal caſtratum in nuptiis mactabatur. Tandem honeſtiſſimæ quæquæ matronæ ad Sponſam accedentes inſtruebant illam quomodo ſeſe gerere deberet erga maritum ſuum. Sequenti die ante omnem cibum reliquias illorum bellariorū comedebant. Joan Melet. poſt med. Weiſſel. p. 24.

XIII. IN FUNERIBUS ſequentes obſervare ſolebant ritus. Si quis lethali morbo decumberet, accerſi jubebat cognatos omnesq; vicinos, ſive incolas illius pagi, ipſisq; dari mandabat unum atq; alterum dolium cereviſiæ. Congrega-

ti illi ſtrenuè potabant, mortem ægroti expectantes ut eum deinde deflerent. Imò non ſemper expectabant, donec ægrotus moreretur. Nam lege, ut ferunt, à Weidevvuto latâ conceſſum fuit, ut filius ſuos parentes occidere poſſet, ſi nimiò confecti ſeniò, laboribus non eſſent tolerandis. Martin. Murin. in Chron. Pruſs. cap. II. p. 3. Conceſſit etiam idem Weidevvutus, ut ægroti Diis ſacrificarentur & comburerentur. Henneb. de Vet. Pruſſ. pag 22. Divites habebant apud ſe Weidelottam cùm ægrotabant, qui eos hortabatur ut meminiſſent gaudiorum, quæ cum Diis poſt mortem habituri eſſent. Si exactis quatuor menſibus morbus non remittebat, votum faciebant Diis. Si nec tum morbus ceſſabat, adhibebantur cineres ex igne Diis ſacratô. Si neq; hoc opem ferebat ægroto, tùm Weidelota volentibus id cognatis ægrotum pulvinari injecto ſuffocabat. Magnatum etiam infantes ægroti comburebantur. Henneb. l. c. p. 23. Si quis naturali morte deceſſiſſet, vicini & cognati cadaver aquâ calidâ ablutum, veſtibus albis & calceis indutum locabant in ſellâ erectum. Propinqui aſſidentes defuncto cereviſiam ex recenti doliô mactræ infuſam, pateráq; hauſtam propinabant, dicentes: **Kayles mauſe gygynethe** i.e. *ego tibi propino*. Epotâ cereviſiâ leſſus funebris ſequentē in modū inſtituebatur: *Heu, heu mihi, quare mortuus es? num tibi deerat cibus aut potus? quare ergo mortuus es? Heu, Heu mihi, annō habuiſti formoſam conjugem? quare ergò mortuus es?* Hoc modò lamentantes enumerabant ordine omnia externa defuncti bona, nempe liberos, oves, boves, eqvos, anſeres, gallinas &c. Ad quæ ſingula reſpondentes occinebant hanc næniam. *Cur ergô mortuus es, qui hæc habebas?* Johan. Melet. Talis Leſſus in Samogitiâ adhuc hodiè apud agreſtes in uſu eſt. Poſthæc iterum defuncto propinantes, & quaſi in diſceſſu valedicētes rogabant, ut in futurâ vitâ parentes cognatosq; ſuos ſalu-

taret,precabantur etiam ut ipſi illis in locis benè eſſet. Peractis his munuſcula dabãtur defunctis ſcil. mulieri filũ cum acu,ut ſiquid in itinere diſciſſum fuerit,reſarciri poſſet. Virorum autem lateri gladius accingebatur: linteô etiam oblongo collum obvolvebatur, cui pecunia implicata erat in viaticũ defuncto data. Cùm efferretur cadaver pleriq; cognati in equis vecti,currũ, in quô cadaver vehebatur,comitabantur,diſtrictisq; gladiis identidem aërem diverberabãt, vociferantes: **Geygeythe/Begaythe/Peckelle** i.e. *Fugite dæmones in infernum.* Mulieres funus comitabantur usq; ad limites pagi. Ibi palus erat terræ infixus,eiq; impoſitus nummus,ad quem decurrebant equis inſidentes cognati. Qui primus arripiebat nummum, oſtẽdebat eum palàm, quô cõſpecto cœteri rurſus ad cadaver currebant, eductisq; gladiis vel fuſtibus auras diverberabant, clamantes: **Begaythe Poculle.** Ad ſepulchrum cùm veniſſent, circumire ſolebant ter currum, leſſum ingeminantes. Weiſſel pag.26. An cadavera illa combuſta,an verò humata fuerint, non meminit Meletius,ſed Weiſſelius utrumq; aſſerit. De crematione non eſt quod dubitemus,cum hæc teſtentur urnæ hinc inde repertæ. Terrâ etiam Pruſſos cadavera tota aliquando condidiſſe non eſt improbabile, cùm utrumq; ſervarint aliæ quoq; gentes. De *Romanis* vide Plin. lib. VII. Nat. hiſt. cap. LIV. De *Græcis* Plato in Phœdone. Conf. Kirchmã lib. I. de Fun. Rom cap. I. Circa ſepulturã & hoc notat Weisſelius quod fœminâ ſepultâ colus fuerit combuſtus, in ſepulturâ viri aliud aliquod monimentum: Si verô defunctus fuerat ad Religionem Chriſtianam converſus,tùm annulos æreos & armillas æreas in ſepulchrum illata fuiſſe teſtatur. Adduntalii, quod Pruſſi, more plurimarum gentium ſoliti ſint optimas veſtes rogo injicere. Cùm Nobilibus etiam canes Venatici, equi, arma, aliaq; utenſilia comburebantur.

Fidelis-

Fideliſſimi etiam ſervi ſeipſos in rogum conjiciebant. Ordens Chronick fol.13.JoanDlugoſs,lib.II.ad an.997.f.115.Imò ſi aliquis magnatum mortuus fuerat,etiam conjux & quidā Weidelottæ ſeſe cum ipſo flammis tradiderunt. Henneb. de Vet.Pruſs.p.23.Porrò qui funus mortuo faciebant,nūmos projiciebant in ſepulchrum,tanquam viatico mortuum donantes. Collocabant etiam panem & lagenam cereviſiâ plenam ad caput cadaveris in ſepulchrum illati, ne anima ſitiret vel eſuriret.Meletius,l.c.Hæc injectio pecuniæ in ſepulchrum fuit & apud Gothos in uſu, ut de ipſis teſtatur vetus Scholiaſtes Adami Bremenſis in Scholiis ab lib. Adami de Sit.Dan.& reliq.Septentrional.Regionum.num.97.Oblatio autem ciborum ſuper tumulos defuncti,apud multas gētes olim fuit in uſu,neq; hodiè deſūt hujus moris indicia. Poſthæc uxor mane & veſperi ſub ortum & occaſum ſolis ſuper extincti conjugis ſepulchrum ſedens vel jacens luctum continuabat diebus triginta.Cognati verò celebrabant die tertiô ſextô, nonò & quadrageſimô à funere convivia, in quibus viri ſeorſim & mulieres itidem ſeorſim accūbebant. Weiſſel pag. 26. Accumbebant autem tacitè tanquam muti,nec utebantur cultris. Ad menſam miniſtrabant duæ mulieres,quæ hoſpitibus cibum diſtribuebant, itidem cultrô non adhibitò,cùm cibus jam anteà fuerit in partes ſciſſus.Ad has epulas invitabant poſteà animam defuncti ante januam conſiſtentem:Singuli etiam de ſingulis cibis aliquid ſub menſam jaciebant, animam eo paſci credentes eisq; potum effundebant, Si quid fortè fortuna de mensâ decidebat in terram, id non tollebant,ſed orphanis (ut ipſi loquebantur)animabus relinquebant, quia aliàs nullos haberent cognatos, à quibus exciperentur conviviô. Peractâ cœnâ ſacrificulus ſurgens de menſà ſcopis domum purgabat, animasq; mortuorum ejiciebat tanquam pulices,atq; ſequentibus eas ro

gaba

gabat verbis ut exirent: **Jelypily Dufyce. Nuwen nuwen** i.e. *edistis, bibistis animulæ. Ite foràs, Ite foràs.* Posthæc convivæ inter se certarunt poculis. Mulieres viris propinabant, & vicissim viri mulieribus, seq; mutuô osculabantur. Johan. Melet. in epist. citatâ in fin. Quædam ex his refert etiam Erasmus Stella: Sic enim ille de Widevvuti constitutionibus loquens: *Statuit & dies Natalitios, & funera pari modo celebranda, mutuis scilicet compotationibus, tum lusu & cantu, absq; mœrore cum summâ hilaritate & gaudio: utq; alterius vitæ spem præ se ferrent, illo saltem ostenderunt, quod exutos spiritu armatos, vestitosq; ac magna suppellectilis parte circumpositâ humarunt. Quo more usq; nunc sepeliuntur, addito etiam potu melleo aut ex frumentis facto in testaceis vasis. In funebri epulo partem obsonii potusq; vitâ defuncti manibus libaruut, hodieq; libant, pudendo illic Christianorum Præsulum dedecore.* Ex his omnibus satis superq; jam apparet Prussos aliquam habuisse cognitionem de animæ immortalitate, aliàs tantô apparatu in demortuis suis sepeliendis non fuissent usuri. Quemnam autem statum animæ post mortem statuerint Prussi, non eadem est opinio. Vincentius Kadlubkus Episcopus Cracoviensis, qui Sec. XII. floruit, dicit Getas (per quos intelligit Prussos) Pythagoricam Metempsychosin ratam habuisse lib. IV. Chron. Polon. cap. XIX. p. 512. Verba citavimus in Originibus Prussicis. Sed si fidem Chronicis nostris habemus, statuendum est Prussos credidisse animas in alium mundũ demigrare, ibiq; in eodem statu, quem in hoc mundô habebant, permanere. Quapropter etiam cum hominibus comburebantur quamplurima, ut illis uti possent in alterô mundô. Credebant etiam piis & impiis in alterâ vitâ dignam pro meritis retributionem fore. **Ordens Chronick** fol. 13 Henneb. de Vet. Pruss p. 12. ex Grunov. Tractat. II. cap. IV. Nos nobis gratulamur de magnâ ergà nos Dei benignitate, quâ nos è spissâ errorum gentilium caligine eductos, in clarâ divinæ veritatis luce stitit.

COROLLARIA.

Subjectum Virtutum moralium est appetitus sensitivus

Præstantissima Reipubl. species est Regnum.



